DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CAPITIS PLAGIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

CAPITIS PLAGIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS SCOTT COWARD,

JAMAICENSIS.


Χρὴ μαλακὰν χέρα προσ-
βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.
Pind. Pyth. Carm. IV. l. 482.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.



GEORGIO FLETCHER COWARD,

ARMIGERO,

HOC TESTIMONIUM

PIETATIS

PARVUM SED SINCERUM

CONSECRAT

FILIUS.

REVERENDO VIRO

CAROLO PARR BURNEY, D. D.

OXON.

VIRTUTIBUS SUIS,

HAUD MINUS QUAM

PRO ERUDITIONE, INSIGNI,

HIC LIBELLUS

AB AUCTORE

DICATUR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

CAPITIS PLAGIS.

AUCTORE GEORGIO SCOTT COWARD.

PRAEFANDA.

Eo nunc aevo vivimus, quo variae disciplinae artis medicinalis in tantum honoris dignitatisque evectae sunt, ut Professoribus suis summam existimationem civium, nec parum reverentiae conferant. Verum est, etiam vetusta tempora, medicum, ob artem suam, coluisse: nostris autem temporibus, Eruditus, Philosophus, Medicus eâdem personâ conveniunt, atque professioni medicinali jura tripartiti honoris irrogant. Quantum vero medicinae evehendae, ista ejus quae hodie fit in duas partes divisio conferat, jure quaeritur; quippe quia inter medicinam internam, quam veteres Pharmaceuticam, seu medicamentariam vocabant,

et eam alteram, quam Chirurgiam nos cum iis appellamus, limites haud ita accuratè ponendi sunt, ut hanc ab illa justis finibus semper discernere valeamus. Chirurgia quidem diu jacuit, propter professorum ejus paupertatem, paucasque quas habere potuerunt occasiones artem suam excolendi. Apud Graecos atque Romanos quidem floruit; sed in longâ illâ barbarie, quâ omnes eorum artes ac elegantiae obrutae, prorsus despecta fuit ipsis medicis, ut vulgare quoddam ac pene fabrile opus. Quomodo autem notio adeo absurda homines alioquin nec indoctos nec humanitate vacuos invadere quiret, haud facile liquet. Propriâ fortè doctrinâ superbientes, atque commentis nescio quibus Hypotheticis, quasi nube quâdam obvoluti, ea mala, quae manum postulant, negligebant, dum Theoriis incumbentes linguacissimo quoque novatore delendis, totum impenderent animum. Quis autem putabit artem, miseriis humanis medentem, dignitati profitentis derogaturam? Nemo quidem talem opinionem non abju-

raret; atque tandem haec nobilis scientia opprobrio vindicata est; atque homines, omni cultu atque lenitate animi, quantis natura humana ornari potest instructi, demum prodeunt, Chirurgiam splendore, ut ars ipsa salutifera, durabili, donaturi. Non amplius merum artificium operarium Chirurgia est: cognitio Epithematum atque operationum manu factarum desiit satis esse. Haec utique manu operanda sunt, sed praeterea Fabricae corporis humani scientiam, necnon legum quibus regitur animo inuri oportet. Nisi quidem prior exculta fuisset, posterior fere incognita restitisset, atque medicina, adhuc procul dubio satis obscura, atrâ caligine jacuisset sepulta. Chirurgum quidem multâ prudentiâ uti oportet; non tantum ut operationem instituendam rite peragat, sed ut mente suâ probabilitates successûs aut frustrationis prius aequilibret; et omnibus casibus, qui fortè occurrent, maturè prospiciat. Ei res est non tantum cum morbis localibus, sed cum iis corporis perturbationibus, quas efficiant, aut quae cu-

rae obstent. Hinc aliqua saltem curationis medicae notitia, plerisque equidem Chirurgorum insignis, quae adeo alia fit disciplina necessaria. Multis nominibus igitur celebratur ars Chirurgica; neque desunt annalibus suis pene innumeri viri, qui optimo jure inter ornamenta artis Paeoniae splendidissima ab omnibus recensentur.

DE CONCUSSIONE.

Concussio ea cerebri conditio est, quae impetu violento, directè vel indirectè capiti illato, et cum vel sine vulnere externo, gignitur. Quanquam ab ipsis medicinae temporibus primis, multum de hâc scriptum fuerit, manet adhuc abunde, quod investigantes occupet. Diversae medendi rationes, quae laudatae fuerunt, multitudinem sententiarum plane testantur; neque nisi intra paucos annos conati sunt Chirurgi concussionem secundum principia verae

scientiae tractare. Medicorum est vidisse, etiam adhuc videre progressum celerem artis salutiferae ad statum perfectiorem. Mortuorum olim labores suam industriam adhuc eloquuntur; dum vivi, et nusquam honorificentius quam hâc Academiâ, famam bene meritam adepti sunt ob artis culturam felicem, juniorum aemulationem sic suâ virtute incitantes.

Argumentum hujusmodi tractantem, me nova multa proferre, non sperandum est. Contentus ero, si optimorum scriptorum placita diligenter tradiderim, postea utriusque merita, quam aequâ mente possim, scrutatus.

Indicia.—Siquando capiti impetus vehemens impactus fuerit, primus hujus effectus est, sensuum omnium privatio subita, cum motus voluntarii jacturâ. Membra extrema frigent, vultus pallet, pulsus intermittit, atque spiritus difficilè reciprocatur. Contigit aliquando ictum tam vehementer gravem

infligi, ut statim interimeret: dum e contrario, aliis fuit injuria adeo mitis, signa tam lenia, ut aeger, primo stupore egresso, parum incommodi vel molestiae sentit. Saepe neque pulsus neque respirationis conditio ullam subeunt mutationem; aut tam levem, ut vix notari queant. Oculi pupillae solitam retinent speciem, atque *Stertor* Apoplecticus abest, hoc autem indicium non nimium fidendum est. Illud utique memorabile est, aegro sic laboranti, e posituque supino erectim levato, pulsum illico mirum in modum accelerari.

* Huic, e sententia clarissimi ABERNETHY, secundum accedit stadium. Eo aeger sensus paulatim recuperat, ita quidem ut dolentis gestationes exhibeat, si quâ ratione doloris causae ei illatae sint. Quae functiones corporis olim laesae, aliqua saltem ex parte e perturbatione sua reviviscuntur, quamvis adhuc oppressione aliqua laboran-

* ABERNETHY's Essay on Injuries of the Head, p. 59.

tes. Aeger nunc ad quaestiones respondere potest, scilicet quae alta voce propositae sunt, quaeque ad ipsius conditionem pertinent, sed in unam aliquam rem animum attendere omnino nequit.

"Quamdiu," dicit ABERNETHY,* "stu-"por manet cerebri inflammatio modica "videtur: sed, illo decedente, haec rarò non "augetur." Hanc vero inflammationis accessionem tertium constituere stadium putat. Cuncta vero haec indicia tot tamque variis rebus afficiuntur, quod a priore accessu an superveniens mitis gravisve futurus sit, judicare vix possibile est. Ergo manifestum erit quam perpetuâ cautione atque vigilantiâ opus sit, ne in lethalem securitatem nos decipi sinamus.

---

* Essay on Injuries of the Head, p. 60.

CURATIO.

Apud auctores mira fuit discrepantia de rectâ concussionis curatione, praesertim circa initium. Nonnulli cardiaca, aliaque stimulantia hoc tempore suadent, nimirum ut renixum vitalem expergefaciant: talis autem medendi ratio periculi plena est. Renixus enim plerumque per se satis maturè excitabitur, atque secum tantam malorum terrentium seriem afferens, ut omnis ad haec domanda conatus prorsùs frustretur. Porrò, quousque haec curandi ratio tutò adhibeatur, aestimatu difficile est; quoniam ad cerebrum stupore suo excitandum, tantâ stimulantium vi opus sit, quanta, hoc jam effecto, periculosissimum inflammationis gradum moveat. Operatio nempè post priorem effectum continuata, nimium exstimulat. Externorum vero stimulantium usus, qualis est Ammonia naribus admota et similia nonnihil prosint, et proculdubio tu-

tiora multo sunt, quam caetera ejusmodi remedia, quippe quae sub arbitrio nostro quodammŏdo jaceant. Medicorum est inflammationem arcere, non vero cum eâ jam plenè formatâ colluctari. Inter primos igitur concussionis effectus parum esse agendum, atque illud utcumque parum melius omissum fore, aestimo.

Si verò stimulatio, utpote renixum nimium incitura, periculosa sit, detractionis sanguinis non minus est discrimen, quippe quae munera vitae jamdudum haud mediocritèr oppressa, ultrà deprimere tendat.

Cur vero hoc modo vires tam mirificè collabuntur, quaerere operae pretium esset. An a vasis cerebri, sive praeter naturam turgidis, sive vacuis factis, pendet? Professorem quendam Anatomiae Londinensem vasa vacuefacta esse docentem audivi; eo quod inter vomendum concussi sensibus suis momento restituantur: quodque vomitus, bene constat, auctum sanguinis caput versùs flux-

um efficiat, unde liquet, si vasa cerebri jam sanguine tumuissent, mala omnia aggravata necessariò fuissent. Si quidem hoc verum, en alia causa! cur sanguis in primo concussionis stadio mitti non debeat. Quaestio autem est, quam corporis mortui diligens exploratio, ratiociniaque experimentis de vivis animalibus absque animi praejudicio deducta sola solvere possunt. Priori rationi hactenus adeo paucae dantur occasiones, ut lucis inde parum vel nihil additum fuit. Quod ad posteriorem attinet, nulla, quae novi, tentamina ejusmodi facta sunt, quibus difficultas enodari posset.

Stadio secundo, ait supra citatus auctor, curatio stimulans, etiam quam primo, perniciosior. * "The circumstance of the brain "having so far recovered its powers, as to "carry on the animal functions in a degree "sufficient to maintain life, is surely a strong "argument that it will continue to do so,

---

* Abernethy on Injuries of the Head, p. 61.

" without the aid of means, which probably " tend to exhaust parts already weakened, " by the violent action they induce." Torpore autem cerebri stuporeque decedentibus, inflammatio paulatim supervenit: neque rarò tamen accidit, quod inter decessum priorum concussionis signorum, atque accessum inflammationis, intervallum satis memorabile intercedat. Sensus molestiae circa caput, vertigo et similia hoc stadium introducunt. Quando hoc fit, maximâ vigilantiâ opus est, atque sine morâ sanguis aut generalitèr aut specialitèr ita mittendus est, ut effectum super pulsum manifestum edat; atque haec medicina iteranda quamdiu pulsus augescere tendat. Hoc modo sanguinis copia haud mediocris detrahi potest absque ullo effectu sinistro: atque ASTLEY COOPER, Baronetus illustris, inter praelegendum docere solet se 208 uncias sanguinis unâ hebdomade detractas novisse. Siquidem, his conatibus nihil obstantibus, inflammatio plenè formetur, tentamina reduplicanda sunt aliaque remedia advocanda.

Inflammationis praesentiam à dolore capitis cruciante, lucis sonique intolerantiâ, pupillis contractis, oculis rubris truculentisque, carotidum pulsatione vehementi, pulsu apud carpum forti celeri, aurium tinnitu, vultûs suffusione, vigilantiâ, delirio, inferimus.

Haec vero indicia hujus morbi generalia sunt, non tamen semper adeo clarè ac distinctè notantur, ut primo saltem intuitu sperares. Identidem enim adeo latentèr obrepit, ut insidiae ejus Medici animadversionem ferè effugiant, nisi vigilacissimi. Stimulus omnigenus sedulo cavendus, etiam ipsius lucis: quem ad finem cubiculum obscurari oportet; potentiorum vero stimulantium, vix opus est, ut pericula notarentur.

Antimonii usus multum ac jure laudatus est; hujusmodi enim medicamina non tantum sudorem movent, sed inflammationem potentèr domare videntur. Verum enimvero iisdem administrandis summâ cautione

opus est, ne fortè effectus eorum vomitorii fuerint superinducti. Inflammationibus enim jam plus satis sanguinis per cerebrum transmittitur, atque vomitio sanguinem tàm violentèr eodem propellit, ut sedulo sit evitanda. Si tàmen dentur ad nauseam tantummodò maxima inde commoda sperari queunt.

Frigus quoque capiti variis modis adhibitum, utilissimum; atque hujus formulam optimam SCHMUCKERUS usui commendavit, nimirum, unciis 16 Nitratis Potassae, 8 Muriatis Ammoniae in libris 40 aquae gelidae tabefactis, quibus adjecit Aceti libras octo. Melius tamen erit, hanc solutionem minoribus quantitatibus praeparare, quo facilius usu prius consumatur quam calor ejus calori aëris ambientis adaequetur. Aliae sunt formae, hâc saepe haud minus utiles, veluti Glacies in pulverem redacta, nix, etiam panni frigidâ madefacti. Attamen inter haec auxilia exhibenda, caetera minimè negligere oportet, qualia, ut sanguis à capite derive-

tur, irritatioque minuatur, efficiunt. Intestinorum actio haud praetermittenda; purgantia actuosa necessaria fiunt. Praeter enim alvi onera auferenda, quae relicta irritamentum haud mediocre procul dubio fierent, partem quoque humorum circulantium, per auctum ad faciem intestini internam fluxum hoc modo evacuari cogimus. Multis, ubi nausea magna vomitusque adsunt, et ventriculi tam vehemens irritabilitas, ut ingesta omnia rejiciantur, ibi quo tenuior modus medicaminis exhibitus, eo probabilior erit retentio ejus in ventriculo. Talibus fortasse omnium Calomelas optimum est, quoniam parvuli ejus modi dejectionibus alvi evocandis sufficiant. Si tamen hic quoque vomitum excitet, solum nostrum confugium enematum exhibitio est; quae plerumque utilissima fiunt. Aliud remedium, nequaquam negligendum, irritatio contraria est. Alia ratio hujus excitandae potus acidulorum est, qui haud leviter, profluvio per alvum excitato et conservato, prodesse consuerunt. Hoc nimirum modo aliam prae-

bent viam, quâ sanguinis partem educere possumus. A magno beneficio, quod aliarum corporis partium inflammationi vesicatoria impertire solent, hic quoque et summo jure insigne sperare commodum ducimur. Loco, injuriae sed quam proximo, admovenda sunt. Plerumque satis visum est, collo posteriori superimponere, sed etiam hic locus in exemplis gravioribus vix satis propinquus. Igitur, si conatibus nostris signa parum cedere apparent, non haesitandum est quin statim vesicatorium amplum per totam cutem capillatam admoveri debeat.

Omnia haec remedia protinus sub initio strenuissime exhibeantur, dum aegro adhuc vires integrae, tamque vehementi curationi aequales restent. Frustrà si tempus teratur in conatibus ad levandum potius quam intercidendum morbum, eventus ferè semper erit exitialis. Circa finem, si inflammatio progredi sinatur, vires corporis tam exhaustae fiunt, ut, quanquam signa periculosissima adsint, remedia nostra tam liberaliter,

quam aegri salus postulat, non adhibere audemus, ne status debilitatis induceretur qualis vix minus periculosus esset, quam is morbus quo nunc laborat.

DE COMPRESSIONE.

Compressio plurimis causis gigni potest: Tumoribus, et multis aliis. Illorum tria tantum genera adnotabo; Sanguinem è vasis profusum, Puris generationem, cranii in aliquâ parte depressionem.

DE SANGUINE VASIS ELAPSO.

Situs laticis effusi admodum varius est. Modo enim inter Duram Matrem et os ipsum, modo inter Piam Matrem et cerebrum, modo in ipso cerebro vel ventriculis ejus, quin duos vel plures horum locorum simul occupare potest. Compressionis hâc causâ orientis, signa plerumque non statim mani-

festa evadunt. Quum vero haud mediocris momenti sit, inter varias illius causas distinguere, necessarium fit, tempora, quibus superveniunt, sedulo notare, quoniam haec fere solam diagnosin accuratam praestitura sint. Supra dixi compressionis sanguine effuso factae indicia non statim evadere manifesta, osse vero depresso confestim; cum vero illud, quod premit, pus est, tempus ante accessionem multo longius. Horae complures fortassis elapsae erunt, antequam ulla noxae suspicio movetur. Fabricâ propriâ et nexu intimo inter duram matrem et pericranium consideratis, facile intellectu fit, quomodo sanguis inter priorem et os effundi queat. Celeberrimus *Pott notavit, "Ictu, " casu, aliove impulsu subito, quaedam ex " amplioribus eorum vasorum, duram ma- " trem et calvariam connectentium, rum- " puntur, atque sanguinis aliqua portio per " ejus membranae superficiem effunditur. " Haec una species est effusionis sanguineae;

* Chirurg. Works, Vol. III. p. 27.

" sola quidem inter calvariam duramq. ma-
" trem contingens. Siquidem vasa lacerata
" pauca sint, et effusi sanguinis copia parva,
" signa plerumque levia sunt, et rite curata,
" facile evanescunt. Si vero magna, vel
" numerosa sint vasa, vel sanguis elapsus
" multus, signa plerumque pari ratione gra-
" viora evadunt; sive quidem statim terri-
" tent, necne, semper et constanter ejusmo-
" di sunt, ut pressionem in cerebrum et ner-
" vos fieri indicant, nimirum, stupor, som-
" nolentia, sensus imminutio, sermonisque,
" motusque voluntarii." Quod hic solertissimus Chirurgus de signis certam proportionem ad quantitatem effusi sanguinis obtinentibus, sensu paulo laxiore accipiendum est, quoniam exiguae admodum effusiones indicia molestissima saepe gignunt; dum contra, insignis nonnullis compressio inde adhibita est, cum effectibus vero, si aliis compares, levissimis.

Hujus mirificae deflectionis à nexu generali *causae* et *effectûs*, ratio haud facile reddi

potest, nisi sumamus, cerebrum alio quam alio tempore injuriam acrius sentire, atque diversè etiam diversis hominibus. Auctor jam laudatus addit, * "Signa statim, vel citissimè post casum supervenire, si effusio "etiam mediocriter copiosa sit." Si quidem hoc verum sit, tunc diagnosis satis distincta erit, eo quod constet, *pus* nondum intra tam breve tempusculum formari posse, et calvariae accuratâ exploratione, depressionem hujus facile detectum iri.

CURATIO.

Sanguinis missio fere sola spes nostra. Quanquam enim ab eâ pressûs causa removeri non potest, nihilominus, vi sanguinis in cerebro circulantis imminutâ, signa mitigari possunt. Ubi sanguis tamen inter duram matrem et os situs est, unum auxilium restat, cranii perforatio. Licet enim certissimum sit, talem operationem commodissimam fore, nihilominus, difficultas invenien-

---

* Pott's Chirurg Works, Vol. III. p. 30.

di veram sanguinis effusi sedem efficit, ut calvariam hoc modo tollere diu haesitemus. Quicquid igitur dubium expedire tendat, acceptissimum erit. *Primus Celsus, et recentiorum†Abernethy, os, contra sedem sanguinis effusi, laceratum eum laticem non fundere ut in partibus sanis, et ultimus adjicit se binis exemplis ex hâc solâ notâ animadversâ, limites ad quos dura mater separata fuit plane distinxisse. Hâc igitur simplice ratione non tantum sive sanguis intra vel extra duram matrem effusus fuerit, detegimus, sed ipsum locum, quo latet. Futurâ vero experientiâ probandum est necne omnibus exemplis illud obtineat. Ubi opinio est, sanguinem *infra* duram matrem esse, tum perforandi utilitas valde ambigua. Dominus Hill in quarto suorum casuum ‡ hanc membranam summo beneficio pupugit: verum Abernethy

* Celsus, lib. viii. cap. 2.

† Essay on Injuries of the Head, p. 54.

‡ Hill's Cases in Surgery, p. 98.

contra scribit, * " Iis quae vidi exem-
" plis, ubi sanguis inter duram et piam
" matrem effusus est, atque ad hunc eva-
" cuandum dura mater adaperta est, pars
" ejus serosa sola emitti potuit, quippe quod
" coagulum per cerebri hemisphaerium ex-
" pansum, ad partem usque inferiorem de-
" scenderat, adeo ut nihil fere levaminis chi-
" rurgia attulit." In universum patet, huic operationi plura et graviora obstare quam favere : gravis insuper inflammationis, etiam ipsius cerebri per liberam aperturam protrusiones metus jure optimo medicum terrere debet.

DE PURIS GENERATIONE.

Pus haud aliter quam sanguis vasis elapsus varias intra cranium partes occupat. " Saepe accidit," inquit Pott,† " nonnulla

---

* Essay on Injuries of the Head, note p. 32.

† Chirurg. Works, Vol. III. p. 28.

"e parvis vasis, quae pericranium, calvariam "et duram matrem connectunt, ita laedi, ut "munere suo non amplius rite fungi pos- "sunt, quanquam nulla adeo sint rupta ut "sanguinis effusionem faciant." "Acres," ait, "gravesq. ictus, per media ossa, suturis "distantes, hujusmodi injuriam gignere con- "suerunt: tunicae autem vasorum, quae in- "juriam patiuntur; inflammatione afficiun- "tur, et ulceratione gangraenosâ; quo fit "ut pericranium ab eo osse exteriore, quod "ictum percepit, decedat, atque ab inte- "riore simul dura mater: haec, brevi post "talem inflammationem, ulceratione gan- "graenosâ quoque afficitur, atque pus pro- "fundit."

Hic eventus fere semper praenuntiatur febris et inflammationis signis, cum horroribus violentis, quales puris generationem planè notare solent. Hae res prioribus conjunctae Diagnosin adhuc nostram ultrà juvent; praesertim cum sanguinis effusio nulla inflammationis febrisve signa comitantia

habeat. Quamvis indicia plerumque satis evidenter morbi naturam indicent, nonnunquam fallunt. Anatomiae Professor quidam Londinensis casum memorat foeminae cujusdam, quam viderat, è valetudinario jam sanae, ut videbatur, dimissae, quae autem brevi postea reducta est cum signis compressionis, et mortem obiit. Incisione factâ, quantitas satis memorabilis puris cerebro inventa est. A tempore injuriae ad accessionem mali, cujus causâ valetudinarium repetivit, nullum malum signum passa fuit, et illa tandem lethalis affectio, ni memoria me fallit, subito apparuit. Coma plerumque paulatim accedit, et circa septimum vel octavum diem planè formatur. Tempus vero incertum est, atque multae hebdomades elabuntur priusquam ullus metus excitatur.

Quandoquidem, pure semel formato, nulla curatio medica prodesse possit, per stadium inflammatorium tantum haec utilis esse potest. Curandi rationem hic iterare non opus est, quoniam de suppurante jam morbo

hic agam. Difficultates autem eaedem ac in sanguine effuso nobis se offerunt, quoniam eadem fere morbi sanandi probabilitas existit. Eadem, ni fallor, regula situm puris indicabit, atque, verisimile est, duram matrem perforari posse, si modo constaret nos certe humorem infra incisionem reperturos. Namque hic nulla materia *solida* est, ut in sanguine coagulato, ideoque quod ei emittendo maxime obstabat, nunc omnino abest.

CRANII FRACTURAE.

SITUS, et effectus in tale organum quale cerebrum est, sola sunt, quae Calvariae fracturas medici attentioni commendant. Nullum igitur insolitum conatum curatio postulat, neque processus ad sanationem hâc quam aliis corporis partibus differt. Hoc respectu medici non mediocriter intererit talem notitiam partium circa caput acquirere, qualis omnem periculi errorem adimat.

Ad injurias ejusmodi ritè explorandas summi momenti est, ut suturarum diversarum situs, cum aspectu et varietatibus, quas aliquando exhibent, intelligat. Tali scientiâ instructi vix est, quod errare possimus, praesertim aliis rebus animo observatis. Docent fracturam sanguinem mittere, ambitum lineâ definitum habere, quod in suturis aliter se habere, quivis, vel mediocriter Anatomiâ imbutus, facile videt.

Fracturae vel simplices vel compositae sunt. Simplices nullum externum vulnus simul, seque communicans, haben t,compositae semper. Prioribus injuria per vitam, si Chirurgi nimia diligentia sineret, latere posset. Curiositati ineptae (ne gravius dicam) capillorum cutem aperiendo ut indulgeatur, nimis usitatum est, quod quidem non magis inutile quam flagitiosum est, nisi signa praesentia sectionem tam crudelem indicent. Contra, si vulnus externum inflictum est, vix officio nostro, rite functi erimus, nisi limites injuriae quatenus salvo homine fieri

potest, probe et plene exploratos habeamus. Dantur quidem calvariae loca, ubi vix medico explorare licet, verbi gratiâ apud basem ejus, quo loco nihilominus fracturae lethales plerumque fieri solent.

Fracturae cum Depressione.—Ad eam nunc argumenti nostri partem perventum est, quam, utpote duos diversissimos curandi modos involventem, vitamq. aegroti solertiae ac judicio Chirurgi, hunc, vel illum modum, pro opinione suâ de mali naturâ, seligentis, permittentem, non summi momenti nobis esse non potest. Quâcunque de causâ compressio cerebri facta sit, signa fere constanter eadem, gradu tantum, et progressu plus minus lento, discrepantia.

Signa, quibus compressio cognosci dicitur, haec sunt. Aeger sensu caret, adeo quidem ut excitari, qualiter concussione fieri solet, nequeat. Quin gravem laesionem non sentit; pupillae dilatatae permanent; spiritûs stertor apoplecticus exaudi-

tur; pulsus tenuis, oppressus, saepe abnormis, intermittens; hemiplegia identidem comitatur. Nonnullis tamen, ut videtur, exemplis, pressio cerebri his signis haud ita subito originem dat, id quod historiae quaedam ab * ABERNETHY aliisq. Scriptoribus narratae satis evincunt. Hujusmodi exemplum Noscomio Guidonis, aestate anni 1821, occurrit, quo cerebri magna portio intrò trusa, cerebrum per foramen elapsum est, homo tamen aliquid spatium ambulabat, ut medici auxilium posceret.

Quantâcumque laude digna fuerint chirurgorum conamina, ut inter concussionem et compressionem idonea Diagnosis constituatur, vel quotcunque indicia huic vel illi statui sibi propria visa tradiderint, his omnibus nihil obstantibus, discrimen adhuc valde incertum manet. Fieri potest ut ambae simul adsint, eodem etiam homine; quoniam ea vis, quae os deprimere valuit,

* Essay on Injuries of the Head, p. 5. and following.

facile molle et semifluidum intus cerebrum concutere debet: quin verisimile est plerumque haec mala una adesse. At si haec res ita se habeat, quam vanum erit ullam signorum constantem seriem proponere, qualis Diagnosin nostram regere debeat! Procul dubio, in purâ concussione vel compressione, haec jam dicta indicia nos dirigere possent; hoc tamen semper fieri non sperandum est, quoniam confundi plerumque oportebit. Sub his conditionibus, saltem quod cranii depressionem spectat, ossis inaequalitas maximè juvabit, imo praecipuum discrimen praebebit.

Capitis tegminum conditio est, quâcum depressio cranii facile confunditur. Ictu oritur, qui laticis effusionem efficit. Primo sensus depressioni similis percipitur, sed, pressione continuatâ, paulatim evanescit; depressio verò, quo magis premitur, eo manifestiorem tangenti marginem fracturae praebet.

Curatio.—Nuper multa fuit controversia de optimâ ratione huic malo medendi, adeo quidem ut plurimi Chirurgi manum vix unquam admovent. Moris est, instrumenta, quae cranii partem tollerent, evitare, donec notae internae noxae factae sunt manifestae. Haec ratio, procul dubio, melior est, quam vetustior illa fere ex qualibet occasione intercidendi; sed dubium videtur necne sub ardore artis excolendae, haec non ultra modum evecta sit. Dantur quidem exempla, quibus aut forceps aut elevator sufficêre ossi depresso in altum pristinum tollendo; sed vitam mortalis vehementer periclitaretur, quisquis operationem tentaret. Chirurgiae quidem recentis gloria, non in carne humanâ laniandâ constat, sed talis carnificinae necessitatem evitando. Libri nuperi Chirurgici praeceptis contra perforationem cranii scatent, curationemq. ei concussionis similem suadent, scilicet, ut inflammatio vel arceatur vel dometur. Ad utilitatem hujus methodi confirmandam exempla narrantur, ubi, quamvis calvaria ex aliqua parte de-

pressa fuit, tamen cura hoc modo effecta est. Si Chirurgi hodierni chirurgiam vitantes talia successus sui documenta proferant, veteres haud pauciora praebent, quibus operatio fuit felix. Talibus vero exemplis neutra curandi ratio multum fulciri videtur, neque justum esset ex eventu ratiocinari, nisi hic in alterutro modo fere constanter infelix extiterat. Dubitandum non est, quin aegri saepe sine operatione chirurgicâ satis bene ab his injuriis convaluerint: an vero illud operationem *nunquam* necessariam fore arguit? Si aeger ab effectibus compressionis non multum laesus fuerit, per vitam ullis ejus malis effectibus immunis transire poterit. Haec tamen res est, cujus non facile certiores fieri possumus, quoniam rerum vicissitudines aegrum plerumque ab inspectione nostrâ removent. Dominus ABERNETHY ea facit verba: * "It is not easy to "conceive that the pressure, which caused "no ill effects at a time when the contents

---

* Essay on Injuries of the Head, p. 13.

" of the cranium filled its cavity completely, " should afterwards prove injurious, when " they have adapted themselves to its alter- " ed size and shape." Quamvis haec res plerumque ita se habeat, saltem quod ad corpus cerebrum premens, nonne verisimile est quamvis subsequentem aegritudinem compressionem facile facturam esse? Pergit tamen: * " All those, however, whom I " have had an opportunity of knowing for " any length of time after the accident, con- " tinued as well as if nothing of the kind " had ever happened to them."

Ubi aeger sensus retinet, idem non operandum esse putat, quod quidem hominis misericordiam, non minus quam chirurgiae solertiam redolet, quoniam non secamus, ut sequela, forte successura evitetur, sed ut id, quod jam praesens est premitq., tollatur. Si tamen secare decretum sit, tum quam minima mora absolvendum est. Quin obiter

---

* Essay on Injuries of the Head, p. 13.

adjiciam Doctorem HENNEN* mira quaedam exempla tradidisse, quibus corpora aliena cerebro recepta, diu sine ullo magno malo, ibi latuêre, unde constat, etiam gravioribus quam Domini ABERNETHY exemplis perforationem inutilem esse, nisi manifestum fiat pressum super cerebrum fieri.

OPERATIO.

CONSUETUDO portionem cutis capillatae tollendi, ut inutilis, jam rectè deposita est, quoniam experientia probaverit, hâc salvâ, vulnus multo celerius conglutinari. Incisio crucialis commodissima est, curâ habitâ ne plus cranii tollatur, quam quantum basi instrumenti, modiolo dicto sufficiat. Lenis et tarda motio a latere in latus alternè conservetur, ut omnes partes modiolo inclusae aeque premantur. Identidem scrobis altitudo specillo exploranda erit. Quando-

---

* Principles of Military Surgery, p. 287, 292, 293.

quidem ad idoneam altitudinem tandem perventum sit, tum elevator adhibendus, quo pars dejectà ad pristinam libellam suam levetur. Utcumque aestimabile instrumentum sit *trephinus* nonnullis exemplis, Chirurgo prudenti nihilominus dolet tam magnas eo calvariae plagas necessario tolli. Serra quaedam diu et feliciter à praeclaro nuper Leedènsium chirurgo HEY adhibita est, quae si non omnibus, certè multis vitiis trephini caret: imo ut in usum generalem veniat, solummodo opus est, ut eam Chirurgi experiantur. Hoc instrumento tantum cranii removere, nec amplius opus est, quantum elevatorem admittere satis sit: dum trephini clavus in portionem ossis sanam figendus est, adeo ut pars hujus basin dimidiam aequans, eo necessario absciditur. Neque hoc solum commodum; multis exemplis quibus hoc repetito opus esset, una serrae applicatio omnia necessaria includit, quo fit, ut multum temporis lucremur, periculiq. evitemus. Siquidem ulla inaequalitas crassitudinis ossium sit, serra semicircu-

laris summâ utilitate esse potest, quoniam ob formam ejus ita admoveatur, ut pauci tantum dentes simul agant. Equidem si os occipitale secandum esset, serrâ facile, trephino non nisi summo periculo dividi posset.

Denique, his rite consideratis, liquet nos illud diu apud Chirurgos desideratum tandem obtinuisse, instrumentum scilicet, quale tutò in omnem secabilem calvariae partem adhibere possumus, nec tamen plus hujus quam opus est, removeat.

Quaedam calvariae partes in operatione necessario evitantur; quales sunt suturae, quae, propter nexum intimum apud eas inter vasa externa et interna capitis, atque arcta adhaesio durae matris ad os, sine injuriâ levari non possent. Partes quoque magnis musculis contectae eâdem exceptione comprehendi solent; sinus frontales, linea media ossis frontalis, margines superiores ossium parietalium, cum angulis suis partes sunt, quas, propter obvias causas, evitare

oportet. Ossis occipitalis eam tantum partem attingere possumus, quae supra spinam transversam est, atque à lineâ mediâ hujus abstinere oportet. ABERNETHY regulam tradidit, lineam circa caput ducendam esse, cujus initium ad tres partes ($\frac{3}{4}$) pollicis supra orbitas sit. Hujus pars quaedam, exceptâ lineâ mediâ, perforari potest.

Memoriâ utique teneri debet, partes supra dictas nunquam sectione includendas esse. An vero conditiones oriri possint, necne quibus instrumentum cuiquam capitis parti, cui queat, admoveri oportet ? Quaestio est cujus solutio judicio chirurgi necessario relinquitur ; illud tantum adjiciam Chirurgum supra laudatum HEY * partem ossis occipitis quondam sustulisse supra sinum lateralem et cum tutissimo eventu.

* Practical Observations in Surgery, p. 24.

FINIS.